Nr. 205) Clariss. Doctori Sebastiano Wincemio Witebergæ. Pax Christi.

[= Ms. cr. a. 12: N. 172]

Duo isthinc Bremam venientes tabellarij, vir doctissime, tuas mihi pergratas litteras attulerunt,
quæ præter iucundam amoris tui significationem annexas habebant Doctorum vestrorum disputationes,
quarum communicatio est utilis ad acuendum studium benefaciendi. de litteris igitur te amo. de
libellis gratias ago. Intelligo ex his strenua vobis opus esse constantia. Cum duris enim res est,
et non indoctis. qui linguas et calamos ut sicas exacuere ad confodiendam istius Academiæ celebritatem.
Ego in Theologis meum nomen non profiteor contentus vulgaribus exercitijs germanæ pietatis: neq
pronunciare de tantis rebus temere debeo, sed tamen mihi videtur Morlinus ille ab Ecclesiæ vera
sententia discedere, Qui sentit in actu iustificationis (ut ego quidem intelligo) Quando in conversione
CHRISTUS apprehenditur qui est iustitia nostra. fidem cui soli Quia iustitia ἀντονομαστικῶς ratione
subiecti attribuitur. omnis boni operis expertem esse. Semper Ecclesia hoc discrimine veram fidem a
falsa distinxit. Quod hæc infrugifera sit quasiq mortua: illam multi vivi motus cordis tanquam
principem Heroinam et comitari et e vestigio sequi sentiantur. Si quis ergo me roget quo iure nos
damnati et peccatis obruti iustitiam et vitam adipiscamur. Confiteor (ut par est) Omnia in
solidum tribuenda esse uni gratiæ DEI per unam CHRISTI IESU oblationem, fide a nobis apprehensam.
nec ullam hic haberi ullius boni operis nostri rationem. imo ζημίαν καὶ σκύβαλα esse omnia
si veniant in rationem Iustificationis: Sed tamen idem sic statuo. Fidem qua sola gloriamur, nihil
præter nuditatis nostræ confessionem ad Deum afferentes, nisi ea sit viva quædam et efficax flamma,
inter alios pietatis ardores Divinitus accensa et bonorum operum fæcunda: Non esse illam veram
fidem qua Iustificamur; sed quoddam evanidum fidei simulacrum ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ
καλοῦντος ἡμᾶς. quæ ne apprehendere quidem CHRISTUM potest, nedum reos iustificare.
Quamobrem ut iampridem omnium bonorum iudicijs confixus iure est error Scholasticorum,
qui totam iustitiæ laudem soli fidei, hoc est soli merito CHRISTI cedere noluerunt: ita isti
Antigonidæ (si modo eorum mentem recte assequor) in contrarium errorem præcipites abeunt,
qui sese ita fide iustificatos autumant, ut nullum fidei effectum neqz sentiant ipsi neqz alijs
ostendant. Impingunt ni fallor in Lutheri piæ mem. hyperbolas qui solet vehementior
esse in utramq partem. idq eis accidit iusto DEI iudicio a quo minus pendent: quam ab illo,
cuius doctrinam non tam ex vero probant: quam propter personam. Sed ne sutor (ut aiunt)
ultra crepidam. Ego hic eiusmodi hominum morsus quotidie sentio, sunt et dominantur in
omnibus templis qui raro e suggestu descendunt nisi prius aliqua macula asperserint
tum Scholam tum Rectorem. Magnum DEI donum idoneus Minister. de qua re credo
Dn. Cons. aliquid scripturum Doctori Peucero quem ita studiosum velim ne extrudat nisi eos
qui sint et Doctrinæ sanæ et vitæ inculpatæ ne fiant nobis posteriora deteriora. Si quid in re
tam gravi tua fide et diligentia nos iuveris experieris nos memores et gratos. Vale
Quinto Calendas Aprilis 1570. Bremæ. Amicus et frater in Domino
Salvus sit et diu vivat venerandus vir M. Caspar Joh. Molanus.
Cruciger. Saluta et tuam Coniugem.

Doct. Sebastiano Wischemio Witebergæ. Pax Christi.

Nr. 206) Joachimus Schärar civis in primis honestus, adde etiam locuples et liberalis, filium su-
um Arnoldum olim mea institutione nonnihil adiutum clarissimo Doctori Se-
bastiano Theodorico Winshemio familiariter voluit commendari. Dederam nuper
litteras, et eram multis rebus distractus, ut nobis in schola vitam agentibus alia ex
alijs negotia oriuntur: Tamen et patris ipsius ea est probitas, et Arnoldi adolescentis
ea modestia, ut id officij quod suo quodam iure uterq requirebat, diffugere nõ possim.
Quid quod, si quid omnino vacui temporis habeo, ad scribendum tam fido amico,
cuius mihi recordatio perdulcis est, mea sanè ipse sponte impellor? Nec vero multi
opus est verbis in eius commendatione, quem audio iam in contubernium vestrum
ultro receptum esse. Quod ego factum ut discipulo meo gratulor, (magni enim
refert quem virum sibi iuvenes in Academijs deligant, cuius consilio, et auctori-
tate nitantur) ita lubens recipio. Tam sincerum esse hunc patrem, tamq fide
bona, ut te huius facti poenitere non possit. Tum autem adolescens ipse, tam
quieti ingenij est, tamq tractabilis, ut cum intellexissem cum Henrico nostro
Mouckio adiunctum esse, valde exhilaratus, exclamaverim.:

ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

[= Ms. cr. a. 12: N. 180]

Age

Age igitur vir humanissime, perge tua benevolentia complecti, & fovere istos parvae scholae nostrae
non aspernandos alumnos, praesertim in quibus & ingenium vides inesse et studium, quo neque te
dignis, neque mihi gratius facere quidquam potes. Misit M. Caspar Conerdingus vestram disputa-
tionem grammaticam, cuius me lectio non mediocriter refecit. Recreatus enim meus mobilis animus cum
videam hac tempestate passim emergentibus novis subinde latratoribus prophanis, qui mente corrupti
sunt, et reprobi circa fidem, Christum ecclesiae & veritatis suae vindicem, semper aliquos excellentes
quasi Heroas Christianae gentis opponere, qui ματαιολόγους illos φρεναπάτας tam erudite calleant
φιμοῦν (ut Apostolus loquitur) καὶ ἀποστομίζειν ἐλέγχειν. Sane iugulasti hominem.
Sed extra quaedam est Flacianorum Sorbona. Si esset otium scriberem ea de re prolixius, et agerem
gratias Conerdingo pro munere. Sed nequeo nunc agendis mihi rebus superesse. Cum orabis meo veteris
amici nomine ut hanc officii intermissionem nunc remittat, alias officiosius scripturo. Vale feliciter Doctor
clarissime, et adolescentes nostros subinde exstimula ad discendum, ut habeat tandem et Brema
purioris doctrinae quosdam assertores, qui patriam suam ab obtrectatione, et calumnia tueantur.
12 Calend. Augusti Bremae. Precor salutem Clariss. Doct. Caspari Crugero & M. Conerdingo,
et tuae carissimae coniugi, et nostris adolescentibus, quae tua est domestica Ecclesia, cui Deus
multiplicet benedictionem, Amen. 1.5.7.1.

Johannes Molanus

Henrico Hunken Verdensi. PAX CHRISTI.

Volebam tecum prolixius suavissime adolescens: sed mihi schola furtum subduxit, ut nisi subinde
oleum instilles, sensim lumen exstinguitur: sic meum ingenium per se exiguum, ga non suppetit o
um eruditioni alendae, quam olim iuvenis inchoaveram, sterile paulatim, et effoetum redditur,
neque par esse potest tot rebus conficiendis, quot schola, quot amici, quot familia sua sibi iure
videntur vindicare. Atqui parva quaedam animi virtus adhuc vivida est, vigetque, si quando Spartam
suam exercens, non ultra vires oneretur. Ego vero his annis octo, quibus hoc Rectoris saxum volvo,
plerumque distentus fui domi, et publice, sine ulla liberali respiratione. Scio flagitiosam rem esse
scholarum neglectionem, itaque consumi malim, & contabescere, quam caudam trahere, et rebus necessariis
deesse. Laudanda est Dei patris nostri bonitas, quod nobis non malum scholae, et non poenitendum
statum hactenus concessit, cuius invocatione nominis freti, multa superavi obstacula, multas iniurias
oblivione victus sum, et adolescentum studia mediocriter iuvi. Multa postremo passus sum dum luctor
cum malis scholasticorum moribus, quae res (ut recte putas) repulsit quosdam a nobis ante maturitatem.
Sed ego in hoc sum nunc quoque, ut non recusem admittere pauciores, modo meliores. Atqui (heu in
seria) huius temporis barbariem, ac protervitatem ne ferrei quidem muri arcere possunt. Proinde
non tam de externis scholae periculis anxie semper cogito, quam de vitiis intestinis, quae cum semel
insederint, sanari non queunt. Omnino dices mihi: Navita de ventis, &c., quid tum? Haec mihi
magis in promptu sunt, et spero ea ipsa tibi non fore iniucunda. Scio multa signa tui non vulgaris erga
me amoris, quem equidem in tuis litteris dilucide expressum cognosco, et Deum ipsi supplex oro
ut tuae adolescentiae liberaliter benefaciat, summaque suave ingenium, sicut benigne tibi contulit: ita
excolendo illud, exornandoque inoffenso tenore suae beneficentiae prosequatur. Tu interea quod promittis
in Epistola (quae sane est elegans, et mihi valde grata), noli tibi ipse deesse. Da operam ut re-
tineas illam puritatem latini sermonis, & quamvis incumbes in studium artium superiorum, vide
ne unquam tamen abiicias curam non insuaviter intexendae orationis, magnum inde cuivis discipli-
nae ornamentum accedet. Immodicum te esse in studio discendi, aut vehementem, minime velim.
Moderatio melior custos est diuturnitatis, et assiduitas in tali ingenio, quod etiam nunc aliqua verae
pietatis luce illustratum est, crebro progressu accumulabit fructum uberiorem omnium exspectatione.
Legerunt tuam Epistolam Abraham & Jeremias, qui te amant, & salvere iubent. Saluta meis
verbis reverenter Doct. Sebastianum Wiinshemium meum veterem amicum in Christo. Vale, nam
fessus redii domum a pomeridiana exhortatione, ipso quem vocant M. Magdalenae 1.5.7.1. Tui in Do.

studiosus Johannes Molanus.

14.207)

[= Mscr. a. 12: Nr. 181]